

1732/16
17
14

DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS
DE
**CONSTITVTO
POSSESSORIO
IN LEGIBVS ROMANIS
NON FVNDATO,**

QVAM
IN ELECTORALI VNIVERSITATE ERFORDIENSI,
RECTORE MAGNIFICO,

DN. TOBIA IAC. REINHARTH,

ICTO, SACRI PALATII CAESAREI COMITE, IVRID. FACVLT. ASSESSORE,
ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVITATIS STNDICO
ET CONSULE,

EX DECRETO ET AVTORITATE
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS,

SUB PRAESIDIO
DN. HIER. FRIDER. SCHORCHII,
I. V. D. CIVITATIS CONSVLIS, NEC NON MINISTERII EVANGELICI
ASSESSORIS,

PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQUE IVRE HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA LEGITIME CAPESSENDI,
DIE I. MARTII ANNO MDCC XXXII.

IN AUDITORIO ICTORVM MAIORI HORIS CONSVET.
PVBLICAE DISQVISITIONI SVBMITTET
FRIDERICVS GVILIELMVS SOEMMERING,
Erford.

ERFORDIA, Typis IOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.



DISSE^TAT^O IURIDICA IN AVGVRALIS
DE
CONSTITUT^O POSSESSORIO
IN LEGIBVS ROMANIS NON
FVNDATO.

§. I.



Onstitutum, quod vocant, possel-
lorium in Legibus Romanis non
solum perspicue fundatum, sed &
in ipsis rerum argumentis magno
vsi esse, communiter existimatur.
Inprimis vero in constitutionibus
hypothecarum insignem id utili-
tatem praestare censerur, adeo, vt pene nulla re magis
creditorum securitati consuli posse credatur, quam si
instrumento, super contractu mutui, eidemque anne-
xo pacto hypothecae, confidendo decantata illa consti-
tuti possessorii clausula inseratur. *Vid. omnino TIRAQ VEL-*
LVS in Tractat. de Constitut. Possess. vbi virtutes constitu-

A 2

to

to huic tribui solitas prolixer recenset. Quemadmodum autem communem istam Doctorum opinionem iam pridem in dubium vocavit, famosumque hoc constitutum pro inani Glossographorum figmento habuit CIPHANIUS in Lectur. Aitorphin. ad l. 10. ff. de donat. p. 120. § 121. nec non ad l. 18. pr. ff. de A. vel A. P. p. 474. ita eius sententia nobis oppido probabilis, constitutum possessorum vero neque Romanis cognitum, neque eorundem institutis consentaneum, neque producendis, qui vulgo eidem adscribuntur, effectibus satis idoneum videtur.

§. II.

Prima, quae nos, ut ita opinemur, mouet ratio, in eo consistit, quod nec in Legibus Romanis, nec in libris Iuris Consultorum veterum, nec denique in scriptis aliorum probatorum Auctorum vlla de *constituto possessorio* mentio iniiciatur. Plane *constitutum*, quod dicunt, *obligatorium* curiose in iure Romano exponitur, & quae inde prodita est *actio*, explanate ac diligenter definitur: de *constituto possessorio* vero nec vola nec vestigium ibi apparet, manifesto indicio, Romanos illud penitus ignorasse. Quis enim adduci se patietur, ut credat, Iuris illius Conditores omnimodo id silentio transituros fuisse, si vel vsu ciuili illud receptum esse, vel ad iuvanda vitae commoda magnopere pertinere existimat? Et quamuis contra ea MULLERVS in Diff. de Constitut. poss. c. 1. §. 2. caussetur, leges pro constituto nimis apertas esse, quam ut rem in dubium vocari sinant, eoque fine ad l. 18. pr. ff. de A. vel A. P. prouocet: attamen hunc textum leue admodum praesidium praebere

re

(3)

re communem doctrinam tuentibus, mox ostendetur copiosius.

§. III.

Quod si porro ea, quae de constituto possessorio eiusque indole tradi vulgo solent, curatius expendantur atque inter se conferantur, patebit liquido, omnia esse incerta, diffusa, atque ita comparata, ut si vel maxime eorum, qui de illo commentati sunt, scripta cum puluisculo excutiantur, genuina tamen constituti huius forma ac species vix ac ne vix quidem intelligi queat. Enimuero iuxta ZASIVM in l. 18. pr. ff. de A. vel A. P. constitutum possessorium est *contractus*, isque in omnitera, ut ait, frequentissimus. Alii contra ad verbi *constituere* significationem respicientes, malunt id pro *pacto* habere; constituere quippe idem alias denotat, quod pacisci, aduertente MULLERO c. Diff. c. I. §. I. Add. GVNDLINGIAN. P. XX. Obs. 4. Quo inclinat etiam SCHWENDDOERFF. in Annotat. ad Eckolt. de A. R. D. §. 38. ubi constitutum nostrum *pactum* esse dicit, *quores non proprio sed alterius nomine possideri promittitur*. Atque ex his rursus nonnulli effectum transferendae possessionis, quem constituto tribuunt, *soli huic & nudo pacto adscribunt*, quos inter est COCCEIUS in Diff. de Iure eius quod facti est, modisque ill. amitt. Se&t. IV. §. 6. diserte pronuncians, solo animo & nuda conuentione constituentem tradidisse & dominium transtulisse videri. Alii ex diuerso pacto isti fictam inesse traditionem perhibent, vnde MULLERVS c. l. §. 4. constitutum describit, quod sit *fictus tradendi modus, quo quis rem, quam alteri v. g. vendidit, simpliciter ac nudis verbis eiusque nomi-*

A 3

ne

ne possidere constituit, eoque ipso possessionem ad illum trans-
fert. A quo hactenus non abledit HEINECCIVS, V.
CL. in Elem. Iur. Civil. secundum ord. ff. tit. de A. vel A.P.
§. CCIV. constitutum definiens per fictionem iuris,
quā is, qui se constituit nomine alieno rem possidere, quam
detinet, fingit eam tradidisse alteri, isque possessionem
transtulisse iterum in constituentem. Sicuti autem iam
memorati ICti constitutum pro peculiari fictae tradi-
tionis specie venditant: ita vterius non desunt, qui ge-
neraliter & in vniuersum omnes illos modos, quibus
res breui alias manu tradi dicuntur, sub appellatione
constituti possessorii comprehendunt, quos inter est
ORTOLPHVS FOMANNVS in Disp. ad Inst. IX. §. 27.
& ex recentioribus Dn. SCHAVMBVRGIVS in Diff. de
Tradit. Symbol. c. l. §. 6. Sed ab omnibus hucusque
recensitis opinionibus iterum discedit BORNIVS in
Diff. de Iure in re action. real. produc. c. IV. §. 5. ratus,
constitutum possessorium non fieri nudo pacto, nec,
quaē vulgo traditio sit, translatione ficta, sed interce-
dere realem & maxime propriam occupationem atque
apprehensionem possessionis vacuae; fieri enim hoc
loco, vt à constitiente, etiam solo animo omissa pos-
sessione, res vacua praestetur, hanc postmodum va-
cuam possessionem eum, cui constituitur, ministerio
illius, qui constituit, apprehendere. In aliam denuo
sententiam ingressus est RINCKENIVS, qui, referente
MULLERO c. l. §. 2. in f. hand quaquam in constituto,
sed potius e. g. in ipsa venditione, donatione &c. mo-
dum transferendae possessionis quaerendum esse exi-
stimauit.

§. IV.

Quomodo cunque autem constitutum possessorum effingatur ac repraesentetur, iuri Romano illud incognitum & quadam tenus aduersum esse negari nequit. Primo etenim nonnullae quidem conuentiones, certo iure civili comprobatae, in proprium nomen *contractus* transierunt: at inter illas constitutum haud quicquam reperiri, simul in propatulo est. Deinde quamvis non diffiteamur, posse *pactum* de re nomine alterius tenenda iniiri: nondum tamen constat, in ciuitate Romana huiusmodi pactum visitatum, vel legibus confirmatum roboratumque, vel denique ciuilem aliquam actionem ex eo concessam fuisse. Multo minus cum aliis, iisque euidentissimis Iuris Romani principiis, conciliari potest doctrina eorum, qui mediante solo hocce pacto possessionem transferri volunt, ut pote quae neque per se animo, per conuentione formate declarato, aut per se corpore, sed animo & corpore simul tam acquiritur quam amittitur, praecipiente PAVLO in l. 3. §. 1. & l. 8. ff. de A. vel A. P. cui regulae tamdiu insistimus, donec exceptio ex Legibus Romanis doceatur, qualem intuitu pacti constituti frustra quis quaesuerit. Plane si nudo pacto possit possessio, quae facti est l. 1. §. 3. & 4. l. 29. ff. in alium transmitti; sequeretur, quod multo magis ea, quae iuris sunt e. g. dominium, possint per nuda pacta transferri: haec enim longe facilius transfire, exemplo patet heredum, in quos omnia iura transmissibilia illico ipso iure transmittuntur, possessio vero non transit, nisi praevia corporali adprehensione. l. 23. pr. ff. de A. vel A. P. sed nec domi-

dominia rerum nudis pactis transferri Iure Romano posse, tralatitium, & ex l. 20. C. de Pa*cti*. nimis euident est. Cumque, iudice MULLERO c. Diff. c. IV. §. 7. per pactum, vi cuius e. g. venditor emtori expresse possessionem tradit, possessio non transferatur; comprehendendi sane nequit, quamobrem pactum constituti majori efficacia hastenus pollere censeatur. Vnde tandem ipse COCCIVS c. l. §. 7. eo prolabitur, ut in constituto rem vacuefactam alieno nomine apprehendi statuat, & sic doctrinae BORNII, de qua breui post, fere accedat. Neque vero magis assensum merentur, qui in constituto possessorio fictam subesse traditionem contendunt. Fictiones quippe nihil aliud sunt, quam dispositiones Legum, sub assumptione falsi pro verro, scienter & aperte facta, vltro propositae. v. TITII Ius Priuat. L. 1. c. 9. §. 3. At vero tales Legum Romanarum dispositiones intuitu pacti, quod constituti possessorii nomine venire solet, extare, tantisper negamus, dum à dissentientibus eadem adferantur ac demonstrantur. Et licet illae dominiorum translationes, quae per traditionem breuis manus fieri dicuntur, in Legibus satis clare fundatae sint; v. l. 43. §. 1. ff. de iur. dot. l. 9. §. 5. ff. de A. R. D. l. 62. ff. de euict. eas tamen in vniuersum ad constitutum possessorium pertinere asseri nequit, nec caeteri constituti huius Architeeti facile concedent. Si enim e. g. ex causa commodati res quedam tradita fuerit, & illa postea commodatario vendatur, tunc quidem breui manu ex noua hac causa superueniente tradita esse putatur; sed quid hoc ad constitutum? Plane nullum in hac specie pactum initur, nec

nec ex natura rei iniri potest, de re v.c. antea commo-
data, ac deinceps vendita, alterius nomine possiden-
da, qualem conuentionem tamen in constituto conti-
neri, tantum non omnes arbitrantur. Nec minoribus
dubiis premitur opinio illorum, qui constitutum ve-
ram traditionem & apprehensionem inuoluere autu-
mant. Praeterquam enim quod illa praefruit, vnum
eundemque actum simul esse & pactum, & veram tra-
ditionem apprehensionemque, quae tamen inter se
forma & effectu differunt, hac quoque inconcinnitate
eadem laborat, quod vnam eandemque personam &
tradere, & simul rem traditam adprehendere supponat,
quod à ratione perquam alienum esse liquet, cum
aliam personam tradere, aliam vero rem dimissam ad-
prehendere oporteat. Quid? quod ne probari qui-
dem potest, in constituto factum aliquod apprehen-
sionis interuenire, cum verbis solum & consensu illud
perfici communiter credatur, prout recte rationes sub-
duxit GIPHANIVS ad c.l. 10. ff. de donat. n. 13. p. 121.
Tandem quod RINCKENII sententiam attinet, exa-
ctius quidem de ea, quandoquidem ipsa eius disserta-
tio nunc non ad manus est, iudicium ferre non li-
cet: Haec tenus tamen nobis non valde is refragari
videtur, quatenus iactato communiter constituto ni-
hil, omnem vero vim, quoad translationem possessio-
nis, ipse e. g. donationi aut venditioni adscribit, de quo
quid sentianus, paulo post dicemus.

§. V.

Sed vt infirmitas doctrinae communis adhuc di-
lucidius appareat, potiores, quas vulgo commisici
B solent,

solent, constituti possessorii species paucis examinare iuvat. Diuidunt scilicet illud in coniunctum sive implicitum, & simplex seu absolutum ac explicitum. Illud vocant, quod adiunctam habet vel ususfructus retentio-
nem, vel conductionem, vel precarii concessionem. Hoc vero fieri censem per debitoris in re sua possesso-
nis creditoris loco professionem v. SCHWENDEN-
DOERFFER. ad Eckolt. de A. R. D. §. 38. MULLER de
Constit. Posseſſ. c. 1. §. 4.

§. VI.

Quod igitur ad constitutum coniunctum, eiusque primam, quae ex ususfructus retentione effingitur, speciem attinet, fundamentum eius in l. quisquis 28. C. de Donat. communiter quaerunt, quem textum AZO in summa unum esse è mirabilibus mundi perhibet, no-
tante HOTOMANNO quæſt. illustr. XI. Verum enim vero citatam legem nil quicquam continere, quod ad constitutum possessorium trahi queat, euidentissime patebit, occasionem & mentem eius aliquanto cura-
tius intuenti. Nimirum Lege Cincia, eiusque tertio capite quondam cautum erat, ut in donatione quibus-
cunque personis facta, mancipatio traditione interueniret.
v. BRVMMER. ad L. Cinciam c. 13. n. 1. & 16. Contra ea tamen posteris temporibus inualuit, ut retentio ususfructus pro traditione certa ratione haberetur, & consequenter hoc ipso, quod donator rei donatae usumfructum sibi seruasset, donatio perfecta existimat-
retur: quod quamvis Impp. HONORIVS & THEO-
DOSIVS in l. g. C. Theodos. de Donat. sustulerint, & illas
demum donationes perpetuam firmitatem sortiri debere
san-

sanxerint, quas corporalis traditio fuerit secuta, ne vſusfru-
 ctus exceptio pro traditione possit intelligi: Qui enim, subii-
 ciunt, post liberalitatem re donata perfrui concupiscit, hoc
 sibi quo voluerit modo, consignata i. e. tradita possessione, de-
 bet praecipuum custodire, ne imperfecta vacillet donatio.
 Idem tamen biennio post ad pristinum ius redierunt,
 & in l. 9. C. Theodos. d. t. disposerunt, vt quisquis rem
 aliquam donando, vel in dotem dando, vſumfructum eius re-
 tinuerit, etiamſi stipulatus non fuerit, eam continuo tradidif-
 se credi debeat. Addiderunt simul rationem, quod ob-
 seruationem iuris contrahere potius quam propagare, hoc
 est, interprete IAC. GOTHOF.R. ad c. l. 9. scrupulo-
 sitatem iuris, quae traditionis necessitatem praecise re-
 quirebat in donationibus, amputare, neque praefracte
 eam exigere, debeamus. Hancque constitutionem Imp.
 IVSTINIANVS in Codicem suum coniecit, & quidem
 ita, vt, quod specialiter intuitu donationis & in dotem
 donationis introductum erat, ad venditionem extende-
 ret in c. l. 28. C. de donat. id quod contra omnem iuris
 veteris rationem factum fuisse opinatur HOTOMAN-
 NVS alleg. qu. XI. add. GIPHAN. Explanat. difficil. leg.
 Cod. Iust. ad c. l. 28. p. 486. Ex quibus omnibus tan-
 dem conficitur, in his causis scil. donationis & in dotem
 donationis, nec non, secundum ius Iustinianeum, vendi-
 tionis, retentionem vſusfructus, volente lege, eo gau-
 dere effectu, vt v. g. donatio propterea non minus,
 quam si corporalis traditio accessisset, perfecta esse
 censeatur, dominiumque proin in donatarium transeat,
 praesertim cum nemini in re sua vſusfructus compete-
 re, ac consequenter ex reservatione vſusfructus in re

B 2

dona.

donata seria voluntas domini, volentis rem suam in donatarium liberaliter transferre, tam perspicue, quam ex traditione, colligi possit l. 5. pr. ff. si vſuſfr. petat. Sed quod vna cum dominio poffeffio etiam in do- natarium transmittatur, nondum pro comperto ha- bemus, partim quia in c. l. 8. C. Theodos. expressis verbis cauetur, donatorem, qui re donata perfui concipi- fit, consignata poffeffione demum sibi prospicere de- bere, vnde inferre licet, eundem, si vſumfructum sibi seruet, poffeffionem non consignare seu tradere; par- tim quia & alias nihil commune habet proprietas cum poffeffione, l. 12. §. 1. ff. de A. vel A. P. atque adeo illa transire possit, quamuis haec simul non transeat, v. GRO T. de I. B. & P. l. 2. c. 6. §. 14. partim quia omni fru- ctuario qua tali, poffeffio tribuenda est, l. 12. pr. ff. eod. vnde etiam interdictum vti poffidetis, pro poffeffione in qua is turbatur, retinenda, l. f. ff. vii poffider. ECKOLT. ad ff. eod. tit. §. 5. nec non interdictum vnde vi, pro poffeffione, de qua vi delectus est, recuperanda, eidem competit l. 1. §. 9. l. 3. §. 17. l. 9. §. 1. ff. de vi & vi armat. ECKOLT. ad ff. eod. tit. §. 6. Quamobrem HOTO- MANNVS cit. qu. XI. non difficitur, in specie d. l. 28. C. de Donat. dominium sine poffeffione iure singulari transferri. Quod si igitur poffeffio per vſuſfructus re- tentionem non transmittitur, quid, quaeſo, affinitatis intercedit eidem cum constituto poffessorio? Nec est quod quis obiiciat, vſuſfructuarium naturaliter ſolum poffidere, ciuilem vero poffeffionem in donatarium transire; fac erim, poſſe hoc idoneis argumentis, quod ad noſtrā ſpeciem attinet, demonstrari, ſaltem
vigo-

vigore constituti possesso non transiret, utpote quod heic eo minus potest animo concipi, quo certius est, naturalem possessorem citra animum quidem domini, suo tamen nomine rem possidere. v. LAVTERBACH. Comp. ff. de A. vel A. P. p. 569. Dn. BOEHMER. *Introduct.* in ius ff. eod. tit. §. 4. ECKOLT. ad ff. eod. tit. §. 3. & sic donatorem, in re donata usumfructum sibi seruantem, si vel maxime pro naturali solum possessore reputetur, rem illam tamen deinceps *sibi & suo nomine*, quamvis non opinione domini, habere, ac proin retentioni ususfructus pactum constitutum de re *nomine alterius possiden- da*, cum contradictionem implicit, inesse non posse.

§. VII.

Proximum est, ut de altera, quam fingunt, constituti impliciti specie dispiciamus, quae iuxta §. 5. rei conductionem adiunctam habere dicitur. Eruere illam potissimum conantur ex l. 77. ff. de Rei Vind. Sed valde veremur, ne in probatione deficiant, cum nec in hoc textu quicquam, quod ad constitutum possessorium pertineat, deprehendatur. Ita enim **VLPIANVS:** *Quae- dam mulier fundum non marito donavit per epistolam, & eundem fundum ab eo conduxit, posse defendi, in rem ei com- petere, quasi per ipsam acquiserit possessionem, veluti per coloniam.* Agit de donatione à muliere non marito, sed extraneo, cui per leges donare licet, facta, ad cuius perfectionem iure Romano veteri traditionem fuisse necessariam, modo indicauimus. Quaesitum igitur est, athon illa aequa perfici censeretur, si donator rem donatam & nondum traditam, à donatario conduceret? Ait **VLPIANVS**, *posse defendi*, donationem

B 3

in

in eo casu perfici: quae verba innuere videntur, fuisse circa hanc rem inter ICros Romanos dissensionem, id quod etiam ex l. 28. ff. de A. vel A. P. non improbabili-
ter forte colligitur. At VLPIANO, qui & alias aequi-
tatem, quam strictam iuris obseruationem sequi ma-
luit, placuit sententia quaestionem propositam adfir-
mantium, quae & in ratione optime fundata est. Na-
turaliter quippe solo consensu legitime declarato, tra-
ditione licet non accedente, dominia rerum in alios ac-
ceptantes transire posse, pro explorato habemus. v.
HVB R. Digress. P. 1. l. 4. c. 8. quod vtut ius civile re-
gulariter non admittat, sed euidenter deliberatae vo-
luntatis argumentum, quale in primis traditio praebet,
requirat, idque maxime in donationibus, vtpote quae
iuxta communem mortalium inclinationem vix praef-
sumuntur, desideret: eidem tamen principio tam ac-
curate & abscisse non insistit, quin ab eodem nonnun-
quam recedat & ad naturalem aequitatem redeat, praef-
serit si ex alio quodam actu non minus euidenter,
quam ex traditione, de consensu vtrinque declarato
constet, ac proin huius defectus per illum velut sup-
pleatur. Quamuis igitur in specie, ad VLPIANVM
delata, res à muliere donata donatario nondum tradi-
ta, nec hactenus donatio iuxta communes Iuris Roma-
ni regulas perfecta esset; quoniam tamen donatrix ce-
lebratione noui contractus, scilicet locationis condu-
ctionis, quae in re propria consistere nullo modo pot-
est, l. 45. ff. de R. I. quod in pristica voluntate perse-
ueraret, satis aperte significauerat, eamque voluntatem
donatarius eo ipso, quod rem donatam locaret, denuo
acce-

(15)

acceptauerat: nihil penitus perfectae donationi deesse, ac propterea donatario dominium rei donatae, & ex eo promanans actio in rem competere videbatur. Sed hoc amplius adfirmat VLPIANVS, eidem & possessionem tribuendam esse, quasi eam per donatricem, hoc est, ope eius & beneficio, acquisierit, dum nimirum haec rem donatam conducendo, & intuitu eius pro columna se gerendo, permittere voluisse censetur, ut donatarius, per rei donatae locationem, atum aliquem possessorum exerceret, & sic mediante illo ipsam rei possessionem apprehenderet. Hinc facile est ad intelligendum, nullam in hoc textu notam aut vestigium constituti alicuius possessorii, siue pacti de re non suo sed alterius nomine possidenda, animaduerti, sed quae de propagatione dominii & possessionis ibi habentur, ad solam locationem conductionem referri, eamque non qua talem, sed quatenus iuxta commemoratas circumstanias reputari debet pro peculiari, voluntatem iam ante patesfactam denuo euidentissime explicandi, itemque rem in se translatam apprehendendi modo, legibus specialiter approbato, eaque vi praedito, ut transmittendo dominio aequa ac possessioni sufficiat, nec praeterea vel traditio vel aliud quid exigatur.

§. VIII.

Restat ut de tertia, quam ex precarii rogatione aut concessione fabrefaciunt, constituti coniuncti specie paucis adhuc differamus. Allegant illi probandae l. 21. pr. & §. 3. ff. de A. vel A. P. Sed sicuti posterior textus in citato §. 3. ad eam plane non pertinet, & magis ad alte-

alterum, quem suo praeced. exposuimus casum, referri
 debet: ita non apparet, quid allegata l. 21. pr. cum
 constituto possessorio commercii habeat. IAVOLE-
 NVS ibidem hanc speciem proponit: Interdum eius
 possessionem, cuius ipsi non habemus, alii tradere pos-
 sumus: quod primo intuitu paradoxum, & à ratio-
 ne iuris alienum esse videtur; traditio enim nihil am-
 plius transferre debet, vel potest ad eum, qui accipit,
 quam est apud eum, qui tradit, finiente VLPIANO in
 l. 20. pr. ff. de A.R.D. hoc tamen non obstante, interdum
 id fieri posse arbitratur ICtus, veluti cum is, qui pro her-
 rede rem possidebat, quam in hereditate reperit, quam-
 que putans hereditariam esse, pro herede possedit,
 postea vero alienam esse rescivit, ac proin, antequam
 dominus fieret per vsucacionem, precario ab herede
 veri domini interea defuncti, eam rogauit, heresque
 petenti illam precario concessit: tunc sane videtur
 possessionem in rogantem contulisse, quam ipse non
 habuit. Cuius rei ratio in eo cubat, quod heres hoc
 casu titulum possessionis tantum, non vero ipsam rei com-
 prehensionem, quippe quae iam erat penes alterum,
 concedat, atque adeo titulus solum sive causa posses-
 sionis heic mutetur, vti assabre ostendit GIPHANIVS
 in Lectur. Altorph. ad l. 21. ff. de A. vel A.P. p. 477. § 478.
 Vnde simul claret, speciem hanc à constituto possesso-
 rio penitus esse alienam. Hoc enim secundum com-
 munem sententiam alium, quam qui haec tenus posse-
 dit, possessorem efficit: at hoc loco pristinus posse-
 sor rem retinet, & ex alia tantummodo causa posside-
 re incipit, quam ob rem ipse ZASIVS in l. interdum 21.
 ff. de

*ff. de A. vel A. P. constitutum & precarii rogationem
valde inter se differre non abnuit. Add. omnino MULLER.
de Const. Posseſſ. c. 7.*

§. IX.

Progradimur iam ad *constitutum*, quod vocant,
simplex, vid. *supra* §. 5. quod praecipue in l. 18. pr. *ff. de A. vel A. P.* fundatum esse autumant: sed sine ullo co-
lore probabili, utrumquidem opinamur. Plane agit ibi
C E L S V S de acquisitione possessionis per procuratorem,
circa quam magnum quondam inter Iuris Consultos
Romanos dissensum fuisse ex l. 41. *ff. de Vſurp. & Vſu-
cap.* elucet, vbi *N E R A T I V S*, per procuratorem, ait,
possessionem adipisci nos, I A M F E R E conuenit, id quod,
olim non conuenisse, liquido arguit. Praeualuit ta-
men sententia, per procuratorem possessionem ac-
quiri posse, quod & *P A V L V S* testatur in l. 1. §. 20. *ff. de A. vel A. P.* nec non *V L P I A N V S* in l. 42. §. 1. *ff. eod.* itemque *P A P I N I A N V S* in l. 49. §. 2. *ff. eod.* ac utilitatis
causa receptum esse *I m p p. D I O C L E T I A N V S & M A-
X I M I A N V S* asserunt in l. 8. *C. de acquir. vel retin. pos-
ſeſſ.* Verum regulae isti addita simul limitatio fuit,
modo procurator non suo nomine nactus sit possessionem,
sed ea mente, ut operam duntaxat suam nobis
accommodaret: quod si enim suo nomine possessionem
adeptus sit, nobis non potest acquirere per d. l. 1. §. 20.
ff. de A. vel A. P. & l. 47. ff. de Vſurp. & Vſuſcap. Quibus
ita constitutis, *C E L S V S* in cit. l. 18. pr. inquirit, quid di-
cendum sit, si Procurator poenitentia ductus rem, quam
suo nomine adprehenderat, & ideo possessionem sibi
acquisuerat, nunc non amplius suo, sed mandantis no-
mine

mine possidere velit, an tunc possessio ad mandantem
 transeat? Et putat, transire. *Quod enim meo nomine ad-*
prehendi, & meo nomine adhuc possideo, possum, si ad bo-
nam fidem redire, atque mandatum iam implere velim,
mandantis, consequenter alieno nomine possidere. Nec
 obstat, quod hac ratione mihi mutem causam possessionis,
 cum primum meo nomine possederim, nunc ve-
 ro mandantis nomine possidere incipiā: *nec enim mu-*
to mīhi causam possessionis, sed prorsus desino possidere, dum
anīnum rem illam mīhi possidendi abiūcio, & proīn
alīum, scilicet mandantem, cuius ego adhuc procurator
sum, possessōrem ministerio meo, dumque operam meam
eīdem accommodo, facio, applicari enim tunc quodam-
modo potest ratio à PAVLO iu l. 1. §. 20. ff. de A. vel A. P. ex-
posita; sed ulterius quis obiūcere posset, me nihilominus
rem adhuc tenere, & sic pro possessore habendum esse.
 Verum nec hoc secundum CELSVM obest, nec enim
idem est, possidere, & alieno nomine possidere. Nam possi-
 det, cuius nomine possidetur, consequenter mandans, cu-
 ius nomine iuxta tenorem mandati rem apprehendisse
 nunc videor, & cuius nomine eam adhuc dum possi-
 deo, pro ciuili possessore haberi debet, procurator ve-
 ro, qualis ego sum, alienae possessioni tantummodo p̄a-
 restat ministerium. Hanc putamus esse veram famosae
 huius legis speciem, quae nihil sane, quod constitutum
 quoddam possessoriū referat, in se continet. Neque
 enim pacti alicuius, de re nomine alterius possidenda
 initi, ibi mentio fit, multo minus, quod mediante tali
 pacto possessio in alterum transmittatur, asseritur, sed
 hoc solum dicitur, quod in casu à CELSO proposito.
 quis

quis possessor efficiatur alterius ministerio, quod non conuentionem, sed factum, & quidem tale, quale procurator alteri praefstat, manifesto praefruit.

§. X.

Sed nec indoli ac naturae hypothecae, cui famosum hoc constituti possessorii pactum potissimum adiici dicitur, v. supra §. 5. illud satis accommodum est. Communi namque consensu & verè quidem traditur, hypothecam esse ius reale, creditori per nudam conuentionem in crediti securitatem acquisitum, possessione rei penes debitorem manente, vid. l. 4. ff. de pignor. §. 7. I. de Action. Cum ē contrario pignus per traditionem constituantur, reīque pignoratae possessio in creditorem transferatur. Vnde confit, debitorem non posse creditori hypothecam constituere, & simul pactum constituti eidem addere. Per illam enim possessionem sibi seruare, per hoc vero eandem in creditorem, secundum communem opinionem, transferre intenderet, quod apertam inuoluit contradictionem. Subsoluit id iam H V B E R O, qui propterea in Praeleg. ad ff. tit. de A. vel A. P. existimat, eiusmodi pignorationes, clausula constituti possessorii munitas, esse medii generis inter pignora stricte sumta & hypothecas. Verum enim vero cum in Iure Romano duae tantum oppignorationis species occurrant, pignus scil. & hypotheca, ex quibus illud in ratione naturali fundatum, & apud omnes gentes in usu est, haec vero sola iuris ciuilis dispositione nititur, ac proin pro eiusdem figmento mero haberi debet, scite docente Dn. B Q E H M E R O in

C 2

Diff.

Diff. de Diuerso Pign. & hypothec. iure c. 2. §. 3. non apparet sane, quo pacto tertium quoddam & medium genus, iure non suffragante, admitti, vel hypothecae vis & indoles, contra juris civilis rationem, immutari aut ultra legum dispositionem extendi queat, praesertim cum varia quidem pacta, pignoribus & hypothecis adiici solita, in iure nostro commemorentur, de pacto autem constituti prorsus sileatur.

§. XI.

Quam parum porro communis doctrina de hac constituti possessorii specie cohaereat, dilucidius apparabit, effectus eidem adscribi solitos curatus aliquanto expendenti. Enimuero diserte H V B E R V S c. l. tradit, si res quaedam hypothecae cum clausula constituti fuerit supposita, detentionem maniere penes debitorem, possessionem ciuilem autem penes creditorem. Explanarius non minus, quam elegantius scilicet hoc ipsum exprimit Z A S I V S in l. 18. pr. ff. de A. vel A. P. n. 2. afferens, debitorem in eo casu rem detinere, sicut affinis sellam detinet, vnde etiam possessionem affinam vulgo debitori tribuant. At cum debitor rem etiam cum pacto constituti suppositam, nihilominus tanquam dominus detineat, & sic reuera ciuiliter possideat: vix patet, qua ratione eidem nuda solum detentio competere, vel affinam possessio dici queat, quae tamen cum animo & opinione domini coniuncta est. v. s T R V V. *Synt. Iur. Ciuil. Ex. XLI. §. 6. 7.* Plane debitori, qui per rei traditionem pignus propriæ dictum creditori suo constituit, possessio expresse adscribitur in l. 36. ff. de A. vel A. P. quod Glossa ibi saltē quoad usucaptionem, & immuni-

munitatem à satisfactione procedere docet. Quanto magis ergo tali debitori possessio civilis attribui debet, qui rem non tradidit, sed nuda conuentione, vt ut cum clausula constituti, obligauit, praesertim cum illi nec ius percipiendi fructus ex re hoc modo obligata denegari queat. Et quoniam ambigendum non est, quin eiusmodi debitor, si forte de possessione fundi, cum praedicta clausula alteri pignerati, à tertio vi dieetus, vel in possessione eius turbatus fuerit, interdicto vnde vi ad recuperandam, vel interdicto vti possidetis ad retinendam possessionem, experiri possit: manifestum est, eum nudum rei detentorem non esse arg. l. 1. §. 10. & 22. ff. de vi & pi arm. arg. l. 3. §. 8. ff. uti possidet. Rursus ex diverso creditori constitutario ciuilem quidem possessionem tribuit H VBERV S c. l. imo & naturalem & ciuilem, si vtraque apud constituentem fuit, M VLLERV S. de Constit. possess. c. 5. §. 1. Sed quo sensu, quoque effectu, non liquet. Neque enim ob iactatam hanc possessionem à satisfando immunis est, neque ideo forum, aut ius vsucapiendi, aut utilitatem ex re obligata percipiendi nanciscitur, neque peculiaris aliqua praesumtio inde pro creditore excitatur, in quibus tamen potiores possessionis ciuilis effectus consistunt. Nec obstat, quod H VBERV S c. l. pro stabilienda sua sententia vrget, creditori applicari interdicta, cum iure tralatitio possessionis, ne res ei sine iudicio, & sine demonstracione iuris potioris eripiatur. Hoc ipsum enim maiori iure de debitore constitente affirmari potest, vt pote cui interdicta retinendae & recuperandae possessionis per modo dicta competunt, resque hypothecae

supposita à creditore constitutario sine iudicio haud
quaquam eripi potest, teste MEVIO p. 5. dec. 351. n. 8.
MULLERO de *Const. possess.* c. 5. §. 7. 8. Contra vero
creditori nulla remedia possessoria pro possessione vel
retinenda vel recuperanda, vi *hiuus clausulae*, speciatim
concedi constat: vnde facile est ad intelligendum, pos-
sessionem, quam creditori constitutario vulgo vindicant,
exiguo admodum eidem emolumento esse, cum-
primis, quod nec in eo Doctores conueniant, utrum
ea statim post pactum constituti initum, an vero de-
mum postea, quam debitor in mora esse incipit, in
creditorem transeat, cui posteriori sententiae fauent
STRYK. in *Cautel. Contr.* S. 1. c. 5. §. 24. & S. 2. c. 4. §. 19.
LUDOVICI in *Doctrina ff.* de A. R. D. §. 31. SCHAVM-
BVRG. de *Tradit. Symbol.* c. 1. §. 8.

§. XII.

Animus erat, ea, quae de effectibus famosi
constituti possessorii in plurimis iuris materiis vulgo tradi-
solent, curiosius examinare, ac simul insignes, qui eius
contemplatione occurunt, abusus copiosius expone-
re, quos inter non minimus est, ab ipso HUBERO c. l.
grauius notatus, quod latinis hisce verbis, instrumento
e. g. mutui & hypothecae adiectis, sub *clausula constitu-*
ti, quae tamen nec contrahentes saepe, nec ipsi Tabel-
liones intelligunt, sine vlo discriminé vis transmitten-
dae possessionis, imo nonnunquam dominii, adscribat-
tur, vtut nec debitor de possessione e. g. transferenda,
nec creditor de ea acquirenda cogitauerit: sed propo-
sita nobis breuitas, aliaque, quae nobis se obiciunt,
impedimenta, quo minus institutum exequamur, pro-
hibent,

hibent. Filum igitur abrumpimus, ac de caetero
qualescumque nostras meditationes eruditorum cen-
surae submittimus, quam nobis tanto magis beni-
gnam policemur, quo certius asseuerare possumus,
nos non alio quam veritatis indagandae stu-
dio ad disquisitionem isthanc ac-
cessisse.

F I N I S.

Stethmate qui celebri cretus, satus est Patre claro,
Sic inclarescit, digna brabea cupit.
SOEMMRINGVS cultor Themis est, & pulpita scandit
Strenuus, exequitur munia Justitiae.
Majorum gressus, virtutes exprimit apte;
Ante oculos Patris semper imago manet:
Hac faciles animi motus, hæc ausibus ignes
Addidit, ac vires imbuit arte Themis.
Astræ nubis SOEMMRINGVS, præmia spectat;
Pax, lex sunt comites, quæ comitantur eam.
Lex, pax sunt natæ Themidis, sunt aurea fulera;
Nititur his solidis subditus atque salus.
Quare nunc latens grator Tibi culmen honoris;
Si via sitque gradus, qui trahat ulterius!
Annuat his Numen, sis maestus dofibus almis;
Cedant ex voto cuncta fluantque Tibi!
Sis lumen Doctûm, sis splendor stirpis, & hujus
Egregium decus, ac fidus ubique cluas!
Ascendas cathedram dignns, cathedramque relinquis
Plausibus, & doctis annumeratus eas!

*Hinc Viro Nobilissimo ac Dediçimo, Dno FRIDERICO GUILIELMO
SOEMMERINGO, Amico suo estimatissimo, ad Doctoris digni-
tatem preclaro ausu adspicant, leuis adplaudit*

JOANNES GEORGIVS RVMPEL, J. V. D.

Arter Blumen edle Zierde
Deckt man nicht mit dunklen Flor,
Sondern zieht sie mit Begierde
Aus bekannten Schatten ver.
Also wer die Tugend kennet,
So in dieser Brust beruht,
Freut sich, wenn man Sie nur nennt,
Über DEMO Doctor-Hut.

Mit diesen Zeilen wollte die Zufriedenheit,
und das Vergnügen, so über die ange-
hende Ehren-Staffel seines werthge-
schätztesten Freundes bezeuget, mit vie-
ler Ergebenheit Selbigem darstellen

Johann Friedrich Tenzell/
Opponens.



ULB Halle
005 355 680

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



1732, 16
A7
c/c
DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS

DE
**CONSTITVTO
POSSESSORIO
IN LEGIBVS ROMANIS
NON FVNDATO,**

QVAM
IN ELECTORALI VNUERSITATE ERFORDIENSI,
RECTORE MAGNIFICO,
DN. TOBIA IAC. REINHARTH,

ICTO, SACRI PALATII CAESAREI COMITE, IVRID. FACVLT. ASSESSORE,
ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVITATIS STNDICO
ET CONSULE,

EX DECRETO ET AVTORITATE
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS,

SVB PRAESIDIO
DN. HIER. FRIDER. SCHORCHI,
I. V. D. CIVITATIS CONSVLIS, NEC NON MINISTERII EVANGELICI
ASSESSORIS,

PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA LEGITIME CAPESSENDI,

DIE I. MARTII ANNO M DCC XXXII.

IN AUDITORIO ICTORVM MAIORI HORIS CONSVET.
PVBLCAE DISQVISITIONI SVBMITTET

FRIDERICVS GVILIELMVS SOEMMERING,
Erford.

ERFORDIA, Typis IOH. CHRISTOPHORI HERINGI, Acad. Typogr.

